





DISPUTATIO JURIDICA
DE
CODICILLIS

1626g

QUAM

Affulgente Iustitia Sole

##

PRÆSIDE

35 59

Clarissimo atque Consultissimo Viro,


DN. SIGISMUNDO Glach/
J.U.D. ET IN INCLUTA ARGENTORA-
tensium Universitate Professore Publico, Præceptore
atque Promotore omni observantiæ cultu
honorando

Publicè ventilandam proponit

Mense Decembri

ULRICUS Weißlandt/
Isnenfis.


*Non hoc præcipuum munus amicorum est, prosequi defun-
ctum ignavo questu, sed quæ voluerit, meminisse, quæ
mandaverit exequi. Germanic. moritur. apud Tacit. l. 2.
Annal. cap. 71.*



ARGENTORATI

Typis JOHANNIS REPPII. Anno 1626.





...

...

R.
nu
d.
di
te
lic

di
p
c
i
m
p
i
i
c

b
n





DISPUTATIO
DE
CODICILLIS.

T H E S I S I.



Mne jus quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones §. ult. Inst. de l. N. G. & C. l. 1. de stat. hominum, & de rebus quidem tractatio prima ac potissima videtur, quæ est de acquirendo dominio: id quod vel jure naturali, (id est gentium) vel jure civili §. 1. 11. 41. Inst. de R. D. & §. ult. Inst. de usu & habit: contingit. Hujus autem posterioris generis quoddam ex Codicillis ad nos derivatur l. 2. C. de Codicill. §. 1. 2. Inst. d. t. l. 2. in pr. & l. 3. ff. de jure Codicill. de quibus ipsis veritatis & discendi studio disputationem ventilationis jam censuræ exposituris clementer annuat ille, in cujus nomine ad omnia consilia, omnesque actus feliciter progredimur l. 2. C. de off. pref. prat. Afr.

II.

Quoniam autem qui verborum vim non callent, decipiuntur in disputationibus, Aristoteles lib. 1. *sophist. Elench. c. 1.* vicissim rectè interpretatione nominis intellectà sapius in ipsius rei significationem deducimur. Unde (notante Ampliff. Dn. D. & Antecess. Mejero év rois éylois, in dissertatione juridico-politica, quomodo Imperator sit mundi Dominus.) conditores & antecessores juris nostri materiam quandam interpretaturi, nequaquam negligendam esse existimant notationem, id est, interpretationem nominis, quo res de qua acturi sunt, explicatur l. 1. in pr. de reb. cred. Quare & nos primùm in Codicillorum notatione occupati erimus.

III.

Codicillus sive Codicilli, olim plurali semper numero proferebantur l. 148. ff. de V. S. postea autem receptum est, ut & singulari numero Codicillus diceretur l. penult. ff. de jure Codicill. l. 38. ff. de condit.

A

& de-

& demonst. l. 14. C. de testam. l. 3. C. h. t. l. 13. C. de SS. Eccles. l. 8. vers. ar-
cum. C. qui test. fac. poss. l. ult. C. fam. ercisc. l. 28. C. de testam. siue autem
Codicillos siue Codicillum dicamus, id nomen per diminutionem est
derivatum à Codice: quo nomine dicebatur olim plurium tabularum
ex caudice siue trunco arboris factarum contextus vel plures tabulæ cō-
iunctæ, ut Varro notat apud Nonium, Clariss. Dn. D. Buisch, Antecessor &
Senior Ampliss. praeceptor & promotor meus aeternum suspiciendus in tract.
suo eleganti de Codicill. & claus. Codicill. publicè prælecto. Tabulis enim
ligneis cerâ obductis ante chartarum membranarumque usum veteres
scripsisse, autor est Festus lib. 19. de V. S.

IV.

Cùm ergo & ultimæ morientium voluntates in ligneis tabulis
& quidem in pluribus tabulis conjunctis, hoc est, in Codicibus scribe-
rentur l. 52. ff. de legat. 3. l. 3. §. 1. ff. de tabb. exhib. l. 1. §. 6. ff. de bon. poss. se-
cund. tabb. & §. penult. Inst. de testam. ord. Inde factum, ut absolutè ta-
bularum & Codicis nomine ipsum quoque testamentum significare-
tur: id quod de tabulis est notissimum ex usitatissimis juris locutioni-
bus, bon. poss. secund. tabb. & contra tabb. De Codice verò quod pro te-
stamento usurpetur, patet ex d. l. 1. §. 6. bonor. poss. secund. tabb. ubi he-
redes dicuntur in Codicibus scripti, quæ ipsa quoque appellatio postea
retenta est, etiam si non in ligneis tabulis scriptum esset testamentum.
l. 1. pr. ff. de bon. poss. secund. tabb. l. 52. pr. de legat. 3. Quemadmodum i-
gitur solennis illa testatio de omni eo quod quis post mortem suam fie-
ri vult, à materia in qua scribebatur, tabulæ & codex appellabatur: ita
postea mentis illa testatio minus solennis de parte ejus, quod quis post
mortem fieri vult, pari ratione Codicilli nuncupabatur quasi parvi
Codices Ampliss. D. & Antecess. Dn. Buisch. in alleg. tract. de Codicill.

V.

Dicitur autem Codicillus quasi pusillum testamentum, quod sit
testamenti appendix aut imitatio per diminutionem à nomine codex
siue caudex: siue dicti sunt Codicilli à parvis Codicibus, quia in brevio-
re charta vel codice quàm testamenta fiebant, neque illas solennitates
ad testamentum requisitas exigunt secund. gl. rub. nost. quæ dicit Co-
dicillum se habere ad testamentum, sicut scapha ad navem. Licet enim
scapha non sit navis magna, tamen est navis l. fin. ff. de fund. instruct. Ita
Codicillus etsi non sit testamentum, tamen ejus naturam habet, & te-
statio ipsius defuncti dicitur Concord. tit. in ff. de jure Codicill. & in C. de
Codicill.

Est

Est autem codicillorum verbum *πολύσημον* sive æquivocum, & sumitur. I. in genere pro parvo codice seu minuto libello *l. 52. in pr. de legat. 3.* II. pro literis sive epistolâ apud *Cic. 2. ad Q. frat. epist. 10.* III. in specie pro epistola quæ ad præsentem scribitur, ex *Senec. Epist. 55. in fin.* IV. pro diplomate seu literis principalibus *l. 41. de excus. tut. l. 1. pr. C. ut omnes judices l. 12. C. de dignit. lib. 12. §. 5. Inst. quib. mod. patr. potest.* V. pro instrumento ultimæ voluntatis tabulis testamenti contradistincto *l. penult. C. de Codicill.* VI. materialiter, ut significet instrumentum, quo voluntas illa continetur, sive descriptionem voluntatis. VII. tandem formaliter & secundum sensum, quatenus significat ipsam voluntatem & ipsum volitum, *Ampliss. Dn. D. Mejer. in Colleg. jurid. Argent. lib. 29. t. 7. §. 3.*

VII.

Definitiones Codicillorum tum à Græcis tum à Latinis multæ & variæ afferuntur, aded ut verum esse comperiamus, quod vulgariter dici consuevit: quot capita tot sententiæ: facilius tamen esse, nulli dubitamus, explicare, quænam Codicillorum sit materia, quænam eorum proprietates, quàm accuratam tradere definitionem, utpote nec admodum necessariam, cum & sine ea res satis intelligi possit: quæ forsan & causa, cur neque in cæteris libris juris, neque in ipsis Institutionibus, quæ tamen ad methodum scriptæ, definitio Codicillorum proponatur.

VIII.

Omnibus autem aliis aliorum tum Græcorum tum Latinorum DD. definitionibus silentii castris inclusis, definitionem Codicillorum ponimus & probamus illam, quam ab *Ampliss. Dn. D. Bitschio in memorato supra tractatu & Disput. 1. de Codicillis publicè habitâ* positam, & in *Colleg. jurid. Argent.* approbatam legere licet ita sonantem: Codicilli sunt iuxta sententia morientis de eo, quod is facere veliteum, in quem aliquid contulit: sive ut ad verba. *Modestinianæ definitionis l. 1. ff. qui test. fac. poss.* conformatæ propiùs accedatur: Codicilli sunt voluntatis nostræ iuxta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri vult, ab eo in quem aliquid contulit.

IX.

Generis locum in priore Codicillorum definitione obtinent illa verba: **Iuxta sententiam morientis,** ubi per sententiam

A 2 morien-

morientis nihil aliud intelligitur quàm id, quod vulgò ultima voluntas appellatur: item ultima dispositio, & voluntas mortui vel defuncti: novissimum item & postremum iudicium: suprema voluntas: ultimum elogium, & his similibus aliis in iure nostro phrasibus exprimitur.

X.

Commodiora autem sunt in posita definitione ista, **sententia morientis**, quàm illa, **ultima voluntas**: quia sententiae vocabulum magis exprimit testationem sive declarationem voluntatis. Unde & in definitione testamenti est, **voluntatis nostræ iusta sententia**, id est, testatio, ut intelligeretur oportere voluntatem illam voce vel scripto prolatam declaratam, non autem (ut regulariter in voluntate fit) in mente aut corde retentam esse: Adjicitur in definitione generi, quod sit **iusta sententia morientis**. Nam licet Codicilli non habeant solennitates testamentarias, nihilominus tamen iusta sunt sententia, hoc est, juri & legibus consentanea, nec quicquam continere debent, quod juri sit contrarium, *l. 7. C. qui test. fac. poss.* & in omni ultima voluntate numerum testium adhibendum esse monet *l. ult. §. ult. C. de Codicill.* Sunt igitur Codicilli iusta sententia in genere, etiam si non sint iusta, ut testamentum. Reliqua definitionis verba: **de eo quod quis facere velit eum, in quem aliquid contulit**, continent Codicillorum differentiam specificam, quâ illi à testamento distant; quod scilicet hîc nihil fiat directò, ut in testamento, ubi hereditas datur directâ, & legata & libertas: sed omnia fiant per intermediam personam, quæ lucrum à defuncto percepit, sive sit heres, sive legatarius, sive fidei commissarius.

XI.

Summa Codicillorum divisio hæc est: I. quod alii sunt ad testamentum facti, *l. 8. §. 2. ff. de transact. l. 36. pr. ff. de testam. milit. l. 5. §. 14. de his qui aut indig.* Alii ab intestato *d. l. 8. §. 1. l. 3. §. 1. l. 16. ff. de jure Codicillorum*, quorum illi ad testamentum pertinent *d. l. 16. ff. d. t. d. l. 1. C. de Codicill.* sive pro parte testamenti habentur, *l. 14. ff. de jure Codicill.* Hi autem (ab intestato facti Codicilli) non sunt pars & sequela testamenti, nec depêdent ex potestate alterius iudicii sive ultimæ voluntatis, sed per se & propriâ virtute subsistunt, & imago quædam atque imitatio testamenti sunt, non desiderantes aliud testamentum, sed ipsi vicem testamenti exhibentes, *l. 16. ff. de jure Codicill.*

Codi-

XII.

Codicilli ad testamentum facti subdividuntur, quòd sint testamento anteriores vel posteriores *l. 3. §. ult. l. 5. l. 16. h. t.* Inter quos hæc est differentia, quòd ii qui post testamentum facti sunt, vires ex testamento capiant, hoc est, jus testamenti sequantur, sive confirmati eo sint, sive non sint *d. l. 3. §. ult. & d. l. 16. ff. de jure Codicill.* at qui ante tabulas testamenti facti sunt, ex sententia Papiniani non aliter valebant, quam si testamento, quod postea factum est, vel Codicillis confirmati essent, *l. 5. ff. h. t. §. 1. Inst. eod.* mitigata tamen est ea sententia rescripto Impp. Severi & Anton. *§. 1. Inst. h. t.*

XIII.

Codicilli ad testamentum facti iterum vel sunt testamento confirmati *l. 6. §. ult. h. l. 3. ff. de testam. tut. l. 17. ff. de testam. milit. l. 18. ff. de ann. legat. l. 43. de manumiss. test. pr. t. Inst. de Codicill. Vlp. in fragm. t. 2. §. ult. t. 24. §. 29. Paul. in sentent. lib. 4. t. ult. §. 2. qui & brevitatis causâ simpliciter confirmati dicuntur, l. 31. de legat. 1. l. 35. §. 5. l. 41. §. 2. ff. de legat. 3. Vlp. t. 25. regul. §. 11. f. vel sunt non confirmati testamento, Vlp. d. t. §. 8. Paul. 4. sent. 1. §. 20. qui & simpliciter non confirmati dicuntur l. 1. §. 1. si autem, ff. de confirm. tut. vel curat. l. 5. §. 14. ff. de his que ut indig. l. 43. ff. de manumiss. testam. Vlp. d. t. §. 11.* Et est quidem hæc propriè Codicillorum ad testamentum factorum subdivisio, cùm confirmatio testamentum præsupponat, frustra que quærat, an Codicilli testamento confirmati sint vel non, si non & testamentum factum sit: potest tamen & Codicillorum in genere acceptorum esse divisio prima, teste *Ampliss. & Consultiss. Dn. D. Bitschio.*

XIV.

Codicilli testamento confirmati rursus, vel sunt confirmati in præteritum, *l. 8. pr. ff. h. t.* vel in futurum, *d. l. 8. pr. h. t.* Utrique Codicilli vel sunt confirmati directis verbis, vel per fideicommissum, *d. l. 8. pr. h.*

XV.

Codicilli ab intestato facti: alii sine omni testamento facti sunt & separatim compositi: alii cum testamento quidem, sive testamento in ejus deficientis subsidium, sive in casum intestati per cautelam vel clausulam Codicillarem annexi.

XVI.

Secunda divisio Codicillorum summa est: quòd Codicilli alii sint scripti

A. 3.

scripti

Scripti: alii (abusivè tamen loquendo, cum codices à quibus Codicilli dicti supra §. 3. nisi scripti, nulli sint) non scripti *l. 3. pr. C. de bon. libert. l. ult. §. ult. C. de Codicill. l. 13. C. de SS. Eccles.* quo pertinet, quòd & sine scriptura hereditas per fideicommissum rectè relinqui dicitur *l. 5. C. ad SC. Trebell.* & quòd fideicommissum in genere & sine scriptura relinqui posse traditur in *l. 22. C. de fideicom. l. 5. in fin. ff. de re judic.* sicut enim testamenta non modò in scriptis sive per scripturam fieri possunt: sed etiam sine scriptis & per nuncupationem, *l. 21. C. de testam. §. ult. Inst. eod.* Unde testamentum aliud scriptum, aliud nuncupativum dicitur, ita etiam Codicilli, qui parva quædam testamenta sunt, non tantum per scripturam, sed etiam per nuncupationem & sine scriptura confici posse rationis est, quos & nuncupativos vocat *Ioan. Ferrarius Inst. ad t. de Codicill.*

XVII.

Haftenus Codicillorum definitio atque divisiones: sequuntur eorundem causæ, inter quas primas tenet Efficiens, quæ duplex assignari hoc loco solet, Remota scil. & Propinqua.

XVIII.

Remotam dicimus esse jus civile Romanorum, & quidem non scriptum, diuturnis moribus consensu utentium comprobatis introductum, ansam præbente L. Lentulo, approbante verò & permittente Imp. Augusto, habito cum viris sapientibus consilio, suadente eorundem confectionem utilitate publicâ, quòd propter longinquas civium Rom. peregrinationes testamenta sæpè confici non poterant, *pr. Inst. h. t.* Non tamen hîc excluditur prima Codicillorum origo ex jure gentium descendens: sed hoc ipsum ex *Colleg. jurid. Argent. & Ampliss. D. & Antecess. Dn. Bitsch. sup. alleg. tract.* remotissima Codicillorum, ut etiam testamentorum causa Efficiens constituitur: non quidem ut Codicilli considerantur ratione formæ & definitionis, sed ratione materiæ & generis, & quatenus sunt simpliciter dispositiones morientium: non autem quatenus sunt tales (jure civili scil. introductæ) dispositiones.

XIX.

Causa Efficiens propinqua Codicillorum sunt personæ, quæ Codicillos facere possunt: in illis autem requiritur tum facultas, tum voluntas.

Facul-

Facultatem ipsius agentis quod spectat, quæ scilicet personæ Codicillos facere possint; tenenda est hæc Regula: qui testamentum facere (jure non enim de facto hic sermo) potest, is etiam potest facere Codicillos, & contra *l. 8. §. 2. l. 6. §. 3. l. 9. h. t. l. 15. §. 5. de capt. & postlim. revers.* de cuius regulæ ratione ab ipsa Codicillorum origine petitâ notanter *Cujac. in l. 2. de legat. 1.*

XXI.

Quoniam autem si cognoverimus, qui Codicillos facere non possunt, simul intelligemus, qui facere eos possint, facit *pr. Inst. de his qui sui vel alien. jur. & pr. Inst. de tut.* In illos itaque quibus facultas faciendi Codicillos denegata, inquiremus. Sunt autem huius generis de quibus in specie in jure nostro traditur, quod Codicillos facere non possint; (qui enim testamentum facere possint vel non possint, exhibentur nobis *t. ff. & C. qui test. fac. poss. & t. Inst. quib. non est promiss. fac. testam.*) Primò furiosus & mente captus *l. 2. §. penult. ff. h. t. l. 5. C. h. t.* Cui comparatur & is, cuius testamentum inofficiosum esse constat, & querelâ inofficiosi rescinditur *l. 2. ff. de inoff. test. pr. Inst. eod. fac. l. 36. ff. de legat. 3.* Hodiè tamen, eum cuius testamentum per querelam in offic. testamenti rescindi potest codicillos facere posse, constat ex *Novell. 115. c. 3. in fin. & c. 4. in fin.* per quam hæc furoris fictio, ad heredis institutionem restringitur.

XXII.

Deinde Codicillos facere non potest, qui sui juris non est, veluti servus *l. 1. §. 1. ff. de legat. 3.* & ab hostibus captus *l. 7. pr. l. 8. §. 3. h. t. l. 12. §. 5. de capt. & postlim. revers.* filius item familiâs *d. l. 1. §. 1.* tum natiuitate tum adoptione talis, cum & hic nec testamenti factionem habeat *l. 8. §. 3. h. t.* nisi filius familiâs miles vel veteranus sit, quia & hic testamentum facere potest, *l. 114. pr. de legat. 1.*

XXIII.

Tertiò, qui de statu vel jure suo dubitat vel errat, *l. 9. h. t. l. 1. pr. vers. sed et si. ff. de legat. 3.* excepto tamen milite & veterano, *d. l. 9. in fin. h. t. & l. 11. §. 1. de testam. milit.*

XXIV.

Quartò peregrini sive qui jus civitatis Romanæ non habent, peregrini namque licet suæ civitatis jure testamentum adeoque Codicillos

los facere possint, *Vlp. in fragm. t. 20. §. 14.* jure tamen Romano hanc licentiam non habent, ut neque eandem habent aqua & igni interdicti ac deportati *l. 1. §. 2. ff. de legat. 3.*

XXV.

Quintò, qui capitis damnatus est, hic enim servus pœnæ factus *l. 6. §. 6. ff. de injust. irrit. fact. test.* sive libertatem amittens publicatis bonis, cum testamenti factionem amittat *l. 8. §. ult. qui testam. fac. poss.* amittit simul fideicommissa relinquendi & Codicillos faciendi potestatem, *l. 22. §. 1. de legat. 3.* ubi iterum in milite exceptio.

XXVI.

Sextò, mutus naturâ vel postquam ei hoc infortunium supervenerit *l. 21. pr. de legat. 3.* si scil. testamento prius facto Codicillos futuros non confirmaverit *l. 8. §. 3. ff. de jure Codicill.* aut literarum ignarus sit, *l. 10. C. qui test. fac. poss.* Quod tandem etiam, tùm in tantùm surdo, tùm in surdo & muto simul obtinet, si scil. hoc vitio à natura laboret, nec natura rursus scientiam ei literarum indulserit, *d. l. 10. C. qui testam. fac. poss.*

XXVII.

Sequitur jam Codicillos faciendi voluntas: quia non satis est, aliquem potuisse Codicillos facere, sive jus faciendorum Codicillorum habuisse, verum etiam voluntas requiritur *l. 1. l. 13. §. 1. h. t. l. 41. §. 3. de vulg. & pup. substit. l. ult. §. 1. C. h. t. l. 29. qui test. fac. poss.*

XXVIII.

Declaratur autem hæc voluntas signis, quæ vel verba sunt vel facta: & verba quidem vel expressam Codicillorum mentionem habentia *l. 41. §. 3. ff. de vulg. & pup. substit. l. 3. ff. de testam. milit. l. ult. pr. & §. 1. C. de Codicill. l. 11. C. de testam. manum:* aut æquipollentia, ut si dicat vel scribat testator: velle se suum testamentum valere omni meliore modo seu quovis jure *l. 29. §. 1. ff. qui test. fac. poss.* aut rationem animi sui se potius secutum esse, quam nimiam diligentiam, & si minus aliquid legitimè fecerit, pro jure legitimo haberi debere hominis sani voluntatē *l. penult. §. ult. de legat. 2.* aut ea omnia quæ dari fieri jusserit, ea se dari fieri velle ab omni herede bonorumve possessore, qui sibi erit etiam jure intestato. Item si dicat vel scribat, se fideiheredis committere, ut quæ disposuerit, valeant, *l. 13. ff. de inoffic. testam. l. 12. §. 1. ff. de injust. rupt. l. 19. pr. ff. de testam. milit. l. 14. C. de fideicom.* vel si venientes
ab

ab intestato roget, l. 24. §. 11. ff. de fideicom. libert. aut jurisjurandi reli-
gione roget præstari legata tabulis data, l. 77. §. 23. de legat. 2.

XXIX.

Per facta autem aliásque circumstantias voluntas hæc declara-
tur, si nihil eorum quæ testamenti propria in ultimæ voluntatis dispo-
sitione sit expressum, ut si omissa sit institutio directa, l. 14. C. de testam.
l. 13. §. 1. ff. h. t. exhereditio, d. l. 14. C. de testam. legatorum datio directa
vel substitutio heredis, d. l. 13. §. 1. si quinque tantum testes adhibiti, cum
plures haberi potuerint Dd. ad l. 14. C. de testam. Menoch. 3. præsumpt. 35.
n. 6.

XXX.

Quod si verò signa ista (præced. thesi. 29. proposita) non appa-
reant evidenter, ut certò ex illis colligi possit, an defunctus præcisè te-
stamentum, an verò etiam Codicillos, vel Codicillos tantum facere vo-
luerit, sed res in ambiguo sit: tum pro Codicillis erit præsumptio, &
probatio incumbet ei, qui intendit defunctum simpliciter testamen-
tum, non etiam Codicillos facere voluisse; quemadmodum hoc ipsum
egregiè deducit, Ampliè. Dn. D. Birsch. præceptor & fautor singulariter
colendus in Doct. suo tract. de Codicill.

XXXI.

Iam ad causam Codicillorum materialem. Hanc autem ante-
quam ponamus, distinguendum prius est inter Codicillos ab intestato
factos, & factos ad testamentum. Hos quod attinet, quia sunt pars &
sequela testamenti, & testamenti per quod confirmantur, naturam in-
duunt, l. 2. §. 2. l. 3. §. ult. l. 14. pr. l. 16. in fin. ff. h. t. l. 11. ff. test. quemad. aper.
l. 3. §. 25. de SC. Silan. l. 12. §. 5. de capr. l. 81. de legat. 2. l. 3. pr. l. ult. ff. de te-
stam. tut. l. 2. C. eod. l. 1. §. 1. ubi: aut in Codicillis. ff. de confirm. tut. l. 2. C. eod.
eandem quoque cum testamentis habent materiam.

XXXII.

In his itaque æquè ac in testamentis relinqui possunt (præter ea
quæ quoad materiam Codicillis hisce ad testamentum factis, cum iis
qui ab intestato sunt facti, communia sunt, de quibus infra §. 38.) liber-
tates directæ, l. 43. de manum. test. l. 8. §. penult. ff. h. t. l. 41. §. 2. de legat. 3.
l. 96. §. ult. de legat. 1. quæ similiter his etiam adimi possunt, Vlp. lib. 2.
regul. §. ult. legata. pr. Inst. h. t. l. 6. §. ult. l. 7. §. 1. l. 8. §. 3. l. 14. pr. & §. 1. &
l. ult. ff. eod. Cajus 2. Inst. t. 7. §. 9. quorum etiam ademptio & deminutio
in iis fieri potest, Vlp. in fragm. t. 24. §. 27. Paul. 3. sentent. 6. §. ult. pr. Inst.

B

de

de adempt. legat. l. 16. in pr. de vulg. & pup. substit. l. 3. § penult. de adim.
legat. l. 2 § 1. de condit. indeb. l. 14 ff. h. t. quemadmodum & tutela datio,
l. 3. pr. l. ult ff. de testam. tut. l. 2. C. eod. ejusdemque ademptio, l. 8. de te-
stam. tut. l. 2. C. h. t.

XXXIII.

Differunt tamen à testamentis Codicilli ad testamentum factis:
quòd in illis hereditas & dari & adimi possit: in his autem (ut & Codi-
cillis ab intestato factis) hereditatis neque datio neque ademptio lo-
cum habere possit, l. 2. §. ult. l. 6. pr. l. 10. ff. h. t. l. 2. 7. C. eod. §. 2. Inst. eod.
l. 4. C. de his quib. ut indig. l. 77. de hered. instit. l. 10. 27 §. ult. ff. de condit.
inst. l. 76. ff. ad. SC. Trebell. l. 5. §. 2. C. de necess. hered. inst. l. 14. C. de te-
stam. idque idèd ne confundatur jus testamentorum & Codicillorum,
§. 2. Inst. h. t. vlp. in fragm. t. 25. §. 9. Neque enim solùm appellatione &
nomine, sed etiam specie ac genere, adeoque vi & potestate ipsa inter se
differunt testamenta & Codicilli, quæ omninò confundi non oportet:
si enim idem Codicilli, quod testamentum possent, cur diversum his in-
strumentis vocabulum mandaretur, quæ vis ac potestas una sociallet,
ait Imp. constant, l. 7. C. de Codicill. Vnde Papin. l. quod per manus 10. ff.
eod. rectè hanc rationem tradit, ne scil. per Codicillos, qui ex testa-
mento valent, l. 3. §. ult. l. ab intestato. 16. ff. eod. ipsum testamentum,
quod vires per institutionem heredum accipit, confirmari videretur,
l. 14. & l. 10. quod per manus, ff. de jure Codicillor.

XXXIV.

Excipiuntur tamen Codicilli militis à Regula præced. modò ò. po-
sita. Cum enim hi nudà voluntate hereditatem dare & adimere possint,
l. 15 § 1. de testam. milit. etiam per Codicillos hereditatem jure dant, l. 36.
pr. d. t. quia etiam quævis militis voluntas testamentum est, l. 34. §. ult.
l. 35. d. t. hoc est esse potest, si Codicillis ab intestato factis hereditatem
dat, potius testamentum fecisse videbitur, arg. l. 14. C. de testam. l. 13. §. 1.
h. t.

XXXV.

Quod autem dictum (ò. 33.) hereditatem Codicillis (pagano-
rum) etiam ad testamentum factis nec dari nec adimi posse: illud de he-
reditate directà accipiendum est, quæ propiè hereditas dicitur, & nul-
lius generis Codicillis expressè & directò, adeoque ut hereditas propriè
dicta, dari aut adimi ullo modo potest, §. 2. Inst. h. t. l. 2 §. ult. l. 6. pr. l. 10.
13. §. 1. ff. eod. l. 2. l. 7. C. eod. l. 77. ff. de hered. instit. l. 10. ff. de condit. inst.
l. 76. ff.

l. 76. ff. ad SC. Trebell. l. 5. §. 2. C. de necess. serv. hered. inst. l. 14. C. de test. vlp.
in fragm. t. 25 §. 9.

XXXVI.

Sed tamen juris est indubitati, hereditatem Codicillis quamvis non directò, per fideicommissum tamen (id est, fideicommissi modo) relinqui posse, §. Codicillis autem. 2. vers. nam per fideicommissum. Inst. h. t. l. Scavola 76. ff. ad SC. Trebell. l. 2. C. de Codicill. Reusn. tract. de jure Codicill. cap. 7. n. 9. cum aliquot seqq.

XXXVII.

Codicillos ab intestato factos quod spectat, verissimùm est, fideicommissa materiam propriam Codicillorum, & Codicillos instrumentum proprium fideicommissorum esse. Adeoque nihil quod directò & verbis legitimis vel Imperativis dandum est, Codicillis ab intestato factis relinqui potest, sed tantùm quod verbis non directis & civilibus sed precariis & per fideicommissum relinquitur, l. 7. de vulg. & pup. substit. §. 1. & 2. Inst. h. t. l. 4. C. eod. §. 10. Inst. de fideicom. libert.

XXXVIII.

Relinquuntur ergo Codicillis fideicommissa, non solùm particularia, sed & universalia, §. 10. Inst. de fideicom. her. §. 2. Inst. h. t. l. 2. C. eod. nec pecuniaria tantùm, sive res quæ pecunia lvi æstimariq; possunt: sed etiam res aliæ, quæ tam per fideicommissum, quàm directè relinqui possunt atque solent: veluti libertates, l. 43. ff. de manum. testam. l. 24. §. 11. l. 38. ff. de fid. libert. l. 1. l. 11. C. de testam. manumiss. non tamen directæ d. l. 43. ff. de manum. testam.

XXXIX.

Non sunt autem hoc in numero tutelæ vel tutorum constitutiones. Tutores enim non verbis precariis & per fideicommissum, sed verbis directis, civilibus & imperativis in legis modum dantur, l. 8. §. ult. l. 10. §. ult. l. 23. pr. ff. de testam. tut. l. 3. §. 9. ff. de suspect. tut. l. 45. pr. & §. 1. ff. de excusat. tut. Tutores itaque his Codicillis de facto sive verbis precariis sive directis dati, non jure dati erunt, eò quòd non dati sint, vel quomodo vel ubi oporteat, l. 1. §. 1. ff. de confirm. tut. confirmabuntur tamen à Magistratu, quo ipso auctoritatem accipient, d. l. 1. §. 1.

XL.

Excipiuntur itidem hîc, & Codicillis (sine testamento factis) relinqui non possunt legata quatenus legata, l. 13. §. 1. ff. h. t. §. 10. Inst. de fideicom. hered. vlp. t. 25. Reg. §. 8. Cajus Inst. lib. 2. t. 7. §. 9. quatenus autem

jure novo fideicommissis exæquata sunt legata, *l. 2. C. commun. de legat. & fideicom. §. 3. Inst. de legat.* Codicillis hisce relinqui posse nulli dubitamus.

XL I.

Codicillorum materiam Forma excipit, quam duplicem hic considerare possumus: intrinsecam alteram & alteram extrinsecam; & hanc rursus tum substantialē, tum accidentalem, *Ampliss. Dn. D. & Antecess. Bit sch. de Codicill. disp. 3. §. 14.*

XL II.

Intrinseca forma Codicillorum definitione (*supr. §. 8. posit. a*) continetur, quod nimirum Codicillis nec hereditatē demus, nec aliud quid directō constituamus: sed tantum declarem, quid fieri velimus ab eo, in quem aliquid (hereditatem puta, vel legatum, vel fideicommissum) contulimus.

XL III.

Forma Codicillorum extrinseca, eaque substantialis, sunt certa quædam solennia, quæ in ordinatione Codicillorum requiruntur. Quamvis enim Codicilli non ita solenniter ordinentur ut testamenta, sive ut est in *§. ult. Inst. h.* nullam solennitatem ordinationis desiderant, (testamentariam scilicet solennitatis enim vocabulum κατ' ἐξοχήν accipiendum de solennitate plenâ & perfectâ sive testamentaria, ut idem sit ac si dixisset Imperator, Codicilli nullam talem solennitatem ordinationis desiderant, qualem testamenta, ut loquutus est in *§. 2. Inst. de patr. potest.* testamenta enim propriè dicuntur ordinari & solenniter ordinari, ut patet ex *Rubr. Inst. de testam. ord. & Rubr. C. de testam. & quem adm. testam. ord.*) habent tamen nihilominus sua quædam requisita & quasi solennia.

XL IV.

Hinc requirunt I. ut adhibeantur quinque testes, *l. ult. §. ult. C. h. t. l. 1. §. 1 & 2. C. de latin. lib. toll. l. ult. C. de donat. mort. caus.* nec refert an mares sint, an verò scemina: cum enim jus non distinguat, quare nec nos distinguemus, arg. *l. 8. ff. de Publician. l. 43. §. ult. de Riunupt.* in cæci tamen Codicillis adhibendus est tabularius, aut, si ejus copia haberi nequeat, sextus testis, *l. 8. C. qui test. fac. poss.* II. Ut testium earundem simultanea, ut sic dicamus, sit præsentia, *d. l. ult. §. ult. h. t.* III. ut iidem in Codicillorum ordinatione vel ad auscultationem adhibeantur sive rogentur ut audiant, *d. l. ult. §. ult. h. Harmenopul. lib. 5. epit. jur. t. 7.* IV. ut
actus

actus continuatio sit non interrupta, *l. 28. pr. C. de testam. V. ut in Codicillis scripto expressis testium quoque fiat subnotatio sive subscriptio, d. l. ult. §. ult. C. h. t.*

XLV.

Forma Codicillorum extrinseca accidentalis consistit in variis Codicillos conficiendi modis, quos suppeditant nobis Codicillorum divisiones *supra θ. 11. & seqq.* propositæ, & huc facit etiam celebris celeberrimi Jcti Pauli locus, *l. 8. pr. ff. h. t.* positus.

XLVI.

Quoniam autem Codicilli clausulâ quoque fiunt Codicillari, cum testator in ipso testamento cavet, velle se ut idem etiam vim Codicillorum obtineat aut quoquo modo valeat, *l. 3. de test. milit. l. ult. pr. & §. 1. C. h. t. l. 29. ff. qui testam. fac. poss.* quam cautionem vulgò clausulam Codicillarem appellant, aliquot etiam clausulæ hujus Codicillaris notabimus formulas.

XLVII.

Variis autem & vanis interpp. & Pragm. inter Codicillorum formulas (quas *in colleg. jurid. Argent. lib. 29. t. 7. θ. 17.* videre est) distinctionibus silentio involutis hæc tenebimus: Volo hoc testamentum etiam vice Codicillorum valere, *l. 3. de testam. milit.* volo id etiam pro Codicillis valere *l. ult. pr. C. h. t.* vim etiam Codicillorum scriptura debet obtinere *d. l. ult. §. 1.* Volo ut pro Codicillis scriptum valeat, *l. 11. C. de testam. manum. ff.* Ea omnia quæ supra dari fieri jussi, ea dari fieri volo ab omni herede bonorumve possessore, qui mihi erit etiam jure intestato: item quæ dari jussero, ea ut dentur fiantque, fidei ejus committo, *l. 13. de inoff.* Hoc testamentum volo esse ratum, quacunque ratione poterit, seu quoquo jure aut ut vulgò loquuntur, omni meliore modo, *l. 29. §. 1. qui test. fac. poss.* Hoc testamentum meum scripsi sine ullo jurisperito, rationem animi mei potius secutus, quam nimiam & miseram diligentiam, & si minus aliquid legitime, minusve perite fecero, pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas, *l. penult. §. ult. de legat. 2.* fidei heredis committo, ut priores tabulæ valeant, *l. 12. §. 1. de injust. rupt. l. 19 pr. de testam. milit.* Volo & jubeo, ut omnia quæ in testamento continentur, omni modo firmitatem obtineant, *Nov. 159. in præfat.*

XLVIII.

Est etiam solennis planè & receptissima Codicillaris clausula illa,

B 3

quæ

quæ in fine testamenti hæc additur clausula: si non valebit hoc testamē-
tum meum, ut testamentum, volo illud valere ut Codicillos, vel omni
meliore modo, via & ratione, quibus potest valere, quæ clausula voca-
tur Codicillaris, & operatur, ut testamentum illud quo relictum est a-
liquid legati titulo invalidè, valeat per clausulam illam & sic habeatur
pro instituto: vel ut verba Germanica sonant: im fall das mein Testa-
ment/ordnung vnnnd geschäfte einiger vrsachen oder mangel halben/
von rechtswegen nicht als ein Testament gelten solte/ so soll es doch als
ein Codicill oder ander geschäfte eines letzten willens nach dem aller-
besten / als es von gewonheit vnnnd rechtswegen am besten krafft haben
möchte/ geheissen sein / vnd also auffgenommen / verstanden / vnver-
brüchlich gehalten werden.

X L I X.

Insignis quoque & magnæ efficacix hæc est, quam testator suo te-
stamento hoc modo annectit: Hoc volo esse meum ultimum testamē-
tum & ultimam voluntatem & ordinationem, quam valere volo jure
testamenti, & si jure testamenti non valet, ratione præteritionis vel
exheredationis, agnationis, posthumi, vel defectus alicujus alterius so-
lennitatis seu quacunque alia ex causâ, valeat jure Codicillorum vel e-
pistolæ vel donationis causa mortis vel inter vivos vel ad causas pias, vel
jure distributionis vel ordinationis factæ inter liberos vel jure cuius-
libet alterius ultimæ voluntatis etiam minus solennis, vel jure fidei-
commissi, & omni alio modo atque jure, quo melius valere poterit quo-
quo modo, rogans omnes ad hereditatem meam venientes ex testamen-
to vel ab intestato vel aliquo modo vel jure, ut servent contenta in eo,
restituendo etiam hereditatem per fideicommissum scriptis heredi-
bus &c. Et hæc esse plenissimam clausulam contra omnes defectus, &
quam sæpe testamentis apposuerit, docet Alberic. de Rosat. *Auth. ex
causa n. 36. notante Ioan. Dauthio in Doctrinâ Methodicâ de Testamentis
quarto testium substantiali, quod est institutio heredis. pag. (mibi) 406.*

L.

Restat finalis Codicillorum causa. Est autem Finis Codicillorum
generalis alius & cum testamento communis: nimirum ut id, quod te-
stator post mortem suam de bonis suis fieri velit, certò constet, eaque
voluntas tanquam lex aliqua conservetur, *arg. Nov. 22. cap. 2.* & alius
specialis, nimirum facilitas & stabilitas dispositionis, ob quam utique
optimo jure admissi sunt Codicilli, *pr. Inst. h. t.*

L I.

Facilitas certè Codicillorum expedita est à diligente, in testamen-
tis

64.
tis ordinandis, quæ requiritur, *pr. Inst. de testam. milit. & l. penult. §. ult. de legat. 2. observatione privilegiata, §. ult. Inst. de Codicill.*

LII.

Codicillorum stabilitas inde est illustris, quod minus desideret solennitatis, §. ult. *Inst. h. t.* paucioribus etiam infirmetur modis, *d. §. ult. l. 3. §. 1. l. 5. l. 6. §. 1. l. 19. ff. h. t.* contra verò testamenta, quod diligentriorem observationem quovè plura solennia ad sui substantiam & validitatem requirunt, *l. 1. pr. ff. de testam. milit. l. 15. l. 28. C. de testam. Nov. 119. c. 9.* quo insuper pluribus infirmantur modis, *t. t. Inst. quib. mod. test. infirm.* eò plures etiam subvertendorum testamentorum viæ atque occasiones sese offerunt, tum in testamenti confectione, *fac. l. 1. pr. de testam. milit. l. 15. C. de testam. l. 28. C. eod. Nov. 119. c. 9.* tum ex post facto, §. 1. & 2. *Inst. de ex hered. lib. §. 2. Inst. de hered. qualit. & differ. §. 2. Inst. de hered. qua. ab intest. & §. 1. Inst. quib. mod. testam. infirm.*

LIII.

Est & Codicillorum effectus generalis alius Codicillorum tam ab intestato, quam ad testamentum factorum communis: & alius specialis alterutrius speciei proprius.

LIV.

Generalis & communis effectus est necessitas præstandi ea, quæ in Codicillis data vel relicta sunt, §. 1. *Inst. de sing. reb. per fideicom. relicta. l. 94 §. 2. & ult. ff. de legat. 1. l. 70. pr. de legat. 2. cum locis similibus.* Et consistit quidem hæc necessitas in obligatione quæ hinc oritur, quæ q. ex contractu nasci videtur: Quemadmodum enim heres adeundo hereditatem cum legatariis quasi contrahit, *l. 3. in fin. l. 4. quib. ex caus. in possess. eatur. iisque quasi ex contractu tenetur, §. 5. Inst. de oblig. qua. q.* Ita etiam qui hereditatem aut legatum aut fideicommissum (pecuniarium scil. *l. 94. §. ult. de legat. 1.*) ab aliquo acquirit (non qui repudiat aut alio modo non acquirit, *l. 29. pr. l. 70. pr. de legat. 2. l. 9. de usufruct. leg. l. 29. de adim. legat. l. unic. §. 4. 9. 14. C. de cad. toll.*) istâ acquisitione sive acceptione quasi contrahere videtur cum eo, cui aliquid restituere rogatus, eique quasi ex contractu ad præstandum id obligatur, §. 8. *Inst. de fideicom. hered. §. 1. Inst. de sing. reb. per fideicom. d. l. unic. §. 4. 19. 14. C. de cad. toll.* dummodo legatarius aut fideicommissarius non plus rogetur restituere, quam ipse ex testamento ceperit, aut capere potuerit, *d. §. 1. Inst. de sing. reb. per fideicom. & d. l. 94. §. 1. de legat. 1.* Quod enim amplius est, inutiliter relinquitur, nec id solvere cogitur, qui legatum

aut fideicommissum accepit, d. §. 1. *Inst. de sing. reb. per fideicom. l. 70. pr. de legat. 2.*

LV.

Cum autem omnis obligatio actionem pariat, l. 42. §. 2. *de procurat. per quam ad necessitatis illius effectum sive ad consequendum id, quod quis præstare obligatus est, pervenitur, l. 3. pr. de oblig. & act. §. 1. Inst. de oblig. pr. Inst. de act.* quare & is qui in Codicillis à defuncto aliquid accipiendo, se ad præstationem illius obligavit, nisi ultrò ex bona fide id præstet, actione ad id præstandum compelli potest.

LVI.

Quænam autem sit illa actio, aut quo nomine ipsa veniat, non æquè convenit inter omnes; Sanè quin actio ex Codicillis testamento confirmatis competens, ex testamento dici possit & debeat, nulli dubitamus: quippe Codicilli pars & sequela sunt testamenti, & jus testamenti sequuntur, l. 14. ff. h. t. l. 11. *test. quemad. aper. l. 3. §. 25. de SC. Silan.* & quæ in iis scripta sunt, perinde habentur, ac si in testamento scripta essent, l. 2. §. 2. ff. h. t. l. 3. *de testam. iut.*

LVII.

Quæ verò actio ex Codicillis ut Codicillis (qui sunt vel ad testamentum vel ab intestato facti, testamento confirmati non sunt) competit, eam cum Excellentiss. Dn. D. & Antecess. Bitschio insigni de Codicillis tractatu sup. aliquoties alleg. & disput. ead. de materia habita: IV. §. 10. & 11. & Ampliss. Dn. D. itidem Antecess. Me'ero èv trois àylois in Colleg. jurid. Argent. lib. 29. t. 7. §. 19. & libris seqq. de legat. & fideicom. §. 54. neque directam neque utilem ex testamento, neque etiam conditionem ex lege, sed propriam actionem esse dicimus, quæ tùm fideicommissi persecutio dicitur l. ult. pr. §. 1. & §. 2. C. h. t. §. 1. *Inst. eod. l. 12. §. 5. ff. de capt. & postlim. revers. tùm ex Codicillis propriè actio salutari potest, arg. d. l. 12. §. 5. ff. de capt. & postlim. revers. l. 1. & d. l. ult. §. 1. C. h. t. l. 3. §. ult. ff. h. t. l. 86. §. 1. de legat. 1. l. 29. pr. ff. qui test. fac. poss. cum quæ etiam concurret Rei vindicatio, & actio hypothecaria, ex §. 3. *Inst. de legat. & l. ult. C. comm. de legat.**

LVIII.

Speciales Codicillorum effectus respiciunt Codicillos tam ad testamentum factos, testamentoque confirmatos, tùm eo non confirmatos.

Codi-



Codicillorum ad testamentum factorum testamentoque confirmatorum effectus proprius ac singularis est, quod pro parte testamenti sint Codicilli, quodque, quæ in iis scripta sunt, perinde habeantur, ac si in testamento scripta essent, *l. 2. §. 2. ff. h. t. & arg. l. 7. pr. & §. 1. eod.* ipsique ad eò pro parte testamenti habeantur, *l. 14. pr. ff. h. t. l. 11. ff. quemad. test. aper.*

LX.

Hinc consecutaria sequentia emergunt, I. quod tutor his Codicillis dari possit: quia sic datus, testamento datus intelligitur, *l. 3. pr. de testam. tut.* II. Legata his Codicillis data, præstanda sint, non secus ac si testamento relicta essent, *pr. Inst. h. t. l. 6. §. ult. l. 7. §. 1. l. 8. §. 3. l. 14. pr. & §. 1. & l. ult. ff. eod. Causus 2. Inst. t. 7. §. 9.* III. Quod seruo, qui facti testamenti tempore testatoris fuit, Codicillorum alienus, rectè his Codicillis libertas detur, *d. l. 2. §. 2. vers. ideò que ff. h. t.* ubi delendam esse negationem ex Cujacio in tract. 2. ad Affric. in explicat. l. 14. ff. h. t. monet Colleg. jurid. Argent. lib. 29. t. 7. §. 19.

LXI.

Non est tamen regula illa: quod Codicilli pro parte testamenti sint, & in iis scripta perinde habeantur, ac si in testamento scripta essent, perpetua: sed certis quoque limitata est exceptionibus: quarum aliæ ad ea, quæ facti sunt, pertinent: aliæ ad ea, quæ sunt juris.

LXII.

Ad ea, quæ facti sunt, *fac. l. 7. §. 1. ff. h. t.* ubi habetur, quod in illis, quæ in Codicillis testamento confirmatis, scripta sunt, respiciendum sit ad tempus, non quo confirmantur (hoc est facti testamenti tempus) sed quo confecti sunt Codicilli.

LXIII.

Quod spectat ea, quæ juris sunt, sup. propositam regulam non semper locum habere, inde constat; quod I. in Codicillis testamento antè factis confirmatis, fideicommissum possit relinqui ei, qui tempore quidem Codicillorum scriptorum natus, at tempore testamenti conditi adhuc in utero erat, *l. 2. pr. ff. h. t.* II. Si ei qui post testamentum factum, & antequam Codicilli scriberentur, mortuus est, Codicillis testamento confirmatis quid legatum est, pro non scripto habeatur, *d. l. 2. §. 1. & l. 6. §. ult.*

§ ult. & l. 14. pr. vers. nullius ff. h. t. III. Is qui Codicillorum tempore solvendo est, rectè libertatem suo det servo, licet facti testamenti tempore solvendo non fuerit, l. 4. ff. h. t. IV. Non valeant Codicilli, quos quis fecit cum ab hostibus captus esset, vel alio aliquo modo jus testandi desisset habere, etsi Codicillos testamento confirmasset, cum liber erat & jus testandi habebat, l. 7. pr. ff. h. t. l. 12. § 5. ff. de capt. & postlim. revers. valent tamen si testator postliminio fuerit reversus, d. l. 12. § 5. vers. sed quia V. Si quis testamentum fecisset extra militiam ut paganus, Codicilli ii, quos quis in militia fecit, jure militari valeant, & à L. Falcid. immunes sint, l. 8. § 4. ff. h. t. l. ult. C. ad L. Falcid. & contra qui post militiam facti sunt Codicilli, licet testamentum in militia factum, & testator intra annum missionis mortuus sit, jure tamen militari non valeant, nec à Falcidia immunes sint, l. 17. § ult. ff. de testam. milit. VI. Valeat libertas in Codicillis à majore viginti annis factis data, & si testamentum, quo Codicilli isti confirmantur, factum fuerit, cum adhuc minor viginti annis esset, l. 1. C. de testam. manum. VII. Tandem, legatum illud nullius sit efficaciam quod testator reliquit ab herede instituto, qui jam Codicillorum tempore erat mortuus: adeò quidem ut ne à substituto quidem debeat: & à coherede quoque non nisi pro parte hereditaria: per exceptionem doli submoturo eum, qui legatum integrum sit petiturus, l. 14. pr. & § 1. & l. 15. ff. h. t.

LXIV.

Effectus Codicillorum ab intestato factorum singularis & proprius est: quod hi Codicilli vicem testamenti exhibeant, l. 16. ff. h. t. ita ut quaecunque in iis relicta sunt (modo relicta sint precariis verbis sive per fideicommissum) non minus valeant, ac præstanda sint, quam si in testamento solenni relicta essent, §. 1. Inst. h. t. & obligent quemcunque heredem aut successorem, etiam post Codicillos natum, sive proximus agnatus sive suus heres sit, l. 3. §. 1. & l. 16. ff. h. t. Non enim interest, quis succedat, dummodò ab intestato succedat: successionem enim ab intestato quicumque amplectitur, is etiam onus fideicommissorum his Codicillis relictorum agnoscere debet: nisi testator Codicillos non simpliciter & infinite ad heredes suos, sed nominatim vel specialiter ad hunc vel illum scripsisset. Hoc namque casu ad quem Codicilli scripti non sunt, sive qui rogatus non est, non tenetur, utut testator eum se in heredibus habere aut habiturum esse ignoraverit, l. 11. 13. pr. l. penult. ff. h. t.

LXV.

Clausulae codicillaris Effectus proprius unicus aut certè primarius est

est iste: quod testamento etiam vim Codicillorum ab intestato factorum tribuat: sive quod ultimam defuncti voluntatem (aut partem, si clausula hæc tantum ad dispositionis partem directa sit, *l. 13. ff. de inoff. test. l. 77. §. 23. de legat. 2. l. 24. §. 11. & l. 38. ff. de fideicom. libert.*) quam is primario testamento esse voluisset, etiam Codicillos esse faciat, *l. 1. ff. h. t. l. 41. §. 3. ff. de vulg. & pup. subst. l. 3. ff. de test. milit. l. ult. C. h. t. l. 11. C. de testam. manum. & arg. l. 19. pr. & §. 1. ff. de testam. milit. & l. 1. C. h. t.*

LXVI.

Convertitur autem hoc modo testamento regulariter in Codicillos ab intestato factos, *ad. modò LL. & l. 13. ff. de inoff. testam. l. 29. §. 1. ff. qui test. fac. poss. l. 24. §. 11. l. 38. ff. de fideicom. libert. l. 29. C. de fideicom.* aliquando tamen etiam in Codicillos ad testamentum confectos, e. c. cum duo testamenta facta sunt, prius jure perfectum, posterius autem non jure factum, cui clausula Codicillaris est adjecta: quo casu posterius testamentum eò, quod clausula Codicillaris ei sit annexa, erit pro Codicillis, facit huc præter *ll. sup. modò allegatas, l. 29. ff. ad SC. Trebell. & §. 3. Inst. quib. mod. test. infirm. & quidem ad testamentum factis, l. 3. §. ult. l. 16. ff. h. t.*

LXVII.

Et hæc de Effectibus tum Codicillorum tum etiam clausularum Codicillarium sufficiant: Effectibus secundariis, in quibus quasi labyrinthis, flexibus cognoscendis judicandisque interpp. atque Pragmatici scrupulosè laborant, his ipsis relictis: idque eò magis, quod quæ *θ. modò præced. de Effectu clausulæ Codicillaris dicta* sufficere possint, si intra cancellos juris Justiniani, ex tot prudentissimis atque religiosissimis tot seculorum Jctis & principibus, prudenter & religiosè collecti, nos contirere, nec eo prudentiores atque religiosiores esse vellemus, ut eleganter notat, *Ampliff. Dn. D. Bisch. de Codicill. disp. s. θ. 1.*

LXVIII.

Ad Codicillorum itaque tum Affinia tum contraria, tanquam propositæ nostræ materiæ postrema membra paucis nos conferemus.

LXIX.

Inter Codicillorum Affinia præcipua sunt. I. testamentum: quippe quod Codicilli tum vicem exhibeant testamenti, *l. 16. ff. h. t. tum etiam cum testamento definitionem, in l. 1. ff. qui test. fac. poss. expressam*

communem habere videantur: quamvis certis etiam modis, ut ex superioribus constat, à testamentis Codicilli differant.

LXX.

Est & donatio mortis causa Codicillis Affinis, cum & illa sit sententia de eo, quod quis post mortem suam postquam aliquis sibi heres (ut in Codicillis observari solet) factus est, fieri velit: requirat etiam, ad Codicillorum exemplum quinarium testium numerum, *l. ult. C. de donat. mort. caus. l. ult. §. ult. C. h. t.* differt tamen etiam à Codicillis, quod hi ultimæ voluntatis quædam species sint: donatio autem mortis causa non nisi improprie, & tantum *καὶ ἀναλογίαν*, respectu conditionis in mortis causa donatione expressæ, ultima voluntas audire possit.

LXXI.

Inter Codicillorum Affinia recenseri quoque solet, Epistola fideicommissaria, quæ tamen rectius loquendo, potius sub Codicillorum appellatione, ut species comprehenditur, nomen speciale tantum à forma extrinseca accidentariâ sortita, re ipsa cum Codicillis conveniens, *ut ex l. ult. de legat. 2. & l. 1. C. h. t.* apparet, quàm ut affine aliquid Codicillis, adeoque ab his diversum dici debeat.

LXXII.

Sequuntur tandem Codicillorum contraria, sive Codicillos infirmantes modi: qui respiciunt Codicillos partim ad testamentum, partim ab intestato factos.

LXXIII.

Codicilli ad testamentum facti, quia à testamento dependent, & vires ex eo habent, *l. 3. §. 2. l. 16. in fin. ff. h. t.* etiam ex infirmatione testamenti infirmantur: ita, ut testamento rupto irritovè facto, ipsi quoque Codicilli ad id pertinentes rumpantur & irriti fiant, *l. 1. C. h. t. & l. 3. §. ult. arg. l. 8. §. 3. ff. eod. l. 12. §. 5. ff. de capt. & postlim. revers.*

LXXIV.

Jure quoque veteri testamento per inofficiosi querelam rescisso, ipsi simul Codicilli ad id testamentum facti rescindebantur, *arg. l. 36. de legat. 3. & l. 13. in f. ff. de inoff. testam.* secus tamen est jure novissimo, quo inofficioso testamento licet rescisso, nihilominus vires suas Codicilli ad id facti fartas & tectas habent, *Nov. 115. c. 3. in fin.*

Codi-

Codicilli ab intestato facti infirmantur testamento posteriore contrario, vel in quo nullū prioris voluntatis retentæ iudicium apparet, l. 5. ff. h. t. §. 1. in fin. Inst. eod. tit. aut Codicillis posterioribus contrariis. l. 3. C. eod. l. 19. C. de fideicom. libert. l. 5. in f. ff. h. t. Item si ei, qui Codicillos fecit, aliquid contingat eorum, quo testamenta irrita fieri solent, arg. l. 8. §. 3. ff. h. t. & l. 3. §. ult. ff. de fideicom. libert. & posterioribus Codicillis non contrariis, adeoque (exceptâ agnatione sui heredis) iisdem modis infirmantur Codicilli quibus testamenta, addatur 0. 74. Schneidenvv. in comment. Inst. h. n. 9. & seqq. Atque hæc hæctenus pro ratione Instituti de Codicillis.

*Quicquid hoc est mihi quod tu summe Jehova dedisti,
Grande licet non sit, fac ope queso iuves,
Tu qui magna soles dare, qui das parva talenta,
Quæ mihi sunt, auge hæc, parva, Jehova precor.*



COROLLARIA.

I.

Sacerdos confessionem sibi factam in poenitentiali confessione, an vocatus in jus rectè revelet? N.

B. Martinus Lutherus hac de re notatu digna recenset in Colloq. suis c. 18. rubr. Ob ein Diener des Worts zeugnuß geben möge / was er in der Beicht gehört hat. dum ita scribit: Einer fragte D. M. L. vñ sprach: Wann ein Pfarzherz vnd Beichtvatter ein Weib absolvirte / das ihr Kind hette erwürget / vnd solches würde darnach durch andere Leuth offsenbaret vnd ruchtbar / ob auch der Pfarzherz / so er darumb gefragt würde / bey dem Richter zeugnuß geben müßte? da antwortet er / mit nichten / dann man muß Kirchen vnd Weltlich Regiment vnderscheidē / sintemal sie mir nichts gebeicht hat / sondern dem Herzen Christo / vnd weil es Christus heimlich helt / soll ichs auch heimlich halten vnd stracks sagen: Ich habe

Habe nichts gehört / hat Christus was gehört / so sage er es.
Hinc refert alicubi Thomas Trevisensis, se audivisse Carolum V.
laudatissimum pastorem poenitentialem confessionem revelantē,
capite punivisse: & Electorem Saxonicum quendam factam sibi
confessionem eloquentem ab officio remouisse.

II.

An Justinianus Imp. Belisarium orbaverit utroque
lumine? N.


Quicquid alii de hac historiā sive scribant sive fingant, Affir-
mativus defensitare partes non erubescens, veritati tamen nos
litantes negativas propugnamus, utentes autoritatibus omni ex-
ceptione majoribus, Procopii sc. diligentissimi illius maximēque fi-
de digni avi, quo gloriosissimus Imp. Justinianus cum Belisario du-
ce suo vixit, scriptoris quasi individui Belisarii comitis & Assesso-
ris sive consilarii bellici: Agathiae: Suidae: Alciati: Cedreni: Tze-
tze: Zonara: Philippi Melanthonis: Casparis Peuceri: Philippi Ca-
merarii: Xylandri: Meibomii: Giphanii: Friderici Tilemanni: Ni-
colai Alemanni: Ampliss. Dn. D. Iusti Mejeri veneranda memoria in
oratione, quam in prima promotione juridicā de hac materiā pro-
nuntiavit, quibus addatur Excellentiss. Dn. D. & Antecessor Bit-
schius in oratione eadem hāc de materia in renuntiatione quādā
Doctoralis habitā.

III.

An translatio Imperii à Græcis ad Germanos sit facta
per Papas? N.

Ut res magis fiat manifesta, tres potissimum Imperii Rom. ad
Germanos translationes observabimus: Quarum. I. Facta est sub
leone Pessicano Constantinopolitano Imp. circa annum Chr. 460. in
Othocarum, qui genere Germanus, militando autem Romanis, non
tantum civis sed etiam potentia tandem auctus, Roman. Impera-
tor à militibus factus est: ut multis retrò temporibus, inde ferme à
Iulio usitatum erat, ut milites exercitūsque Imperatores facerent.
II. Facta est à Zenone Imp. Constantinopolitano, qui de consensu to-
tius senatus Imperialis adoptavit sibi Theodoricum Gothorum Re-
gem

gem, qui sine controversia Germanus fuit, eique Romam, Italiam & totum occidentale Imperium largitus est. III. Facta est paulò post precedentem, ab Anastasio Imp. Constantinopolitano, qui de unanimes consensu totius senatus aut principum Imperii largitus est Augustale nomen ac dignitatem Clodoveo Regi Francorum, qui primus ex illis Regibus baptizatus est: unde dignitas Imperialis semel Regibus Francorum donata, etiam ad posteros per ordinem successionis permanavit, atque ita etiam ad Carolum M. idem jus pervenit. Ab hoc porrò hereditate successit ad ejus liberos ac posteros apud quos permansit annos 120. usque dum Anno Servatoris 913. Imperio diviso, magnis inter Italos, Germanos & Francos de Imperii possessione concertationibus motis, unde gravissima quoque orta bella Germani Ludovico. III. defuncto, Ottonis Saxonis consilio, Conradum ducem Francorum elegerunt, quem consensu omnium Francorum unxerunt in Regem, qui licet coronam Imperialem seu benedictionem non receperit, nihilominus tamen legitimus Romanorū Rex fuit, scribente ita Nauclero in Generat: 31. Ergo translatio Imp. Romani à Gracis ad Germanos, non à Pontifice: sed tum ex donatione nominis ac dignitatis Augustalis super occidentale Imperium per Constantinopolitanos Impp. Regibus Francorum facta: tum ex ordine successionis Francorum: tum & postremò Germanis eligentibus sibi Regem Romanum ex Francorum ducibus, est derivatum.



AD
DN. RESPONDENTEM.

Discenda si sunt in Scholis, quæ grandior
Contentioso atas morabit in foro:
Nos jure tangit illa cura æquissimo,
Quo debeat modo Soluntas ultima
Condi. suum quo sortiatur exitum.
Quæ Codicillos ergo, VVeislandi Optime,
Hoc dum doces discisque sedulo insimul,
Spes nos fovet profectò quam pulcherrima,
In mille te tua natum esse patria
Vshs. tuique te laboris pramium
Olim esse nacturum à Supremo maximum.
Quod ut citissime velit dare, comprecor.

Sylvester Wilhelmus Vlms.



II.
VLRICVS VVEISLAND.
Ἀντιγραμμῶν
DA IUS, NULLI CURVES.

Artificem sua quémque manus, sua facta celebrant:
Proditur impostor fraude doloque rei.
Hinc vario variè res est tractabilis usu;
Res eadem prodest, res eademque nocet.
Tristitia curas animis excedere Sina
Efficiunt, eadem crimina multa parant,
Igne quid utilius? quo si quis perdere recta
Vellet, hinc ignis pœna luenda foret.
Audaces reprimat latrones ense Viator;
Ense Viatorem stringere latro solet.
Dat Medicina bonas reparatque in corpore vires;
Prodit & à medicâ mors fera sæpè manu.
Iura cuique suum tradunt, nec ladere quenquam
Concedunt, Sita sit decus omne, Volunt.
Esse tamen videas, qui non discrimine Sita
Papinianeâ sorte perire velint.
Tu Vveislande, cui melior mens reddit a, sudas
Vt, qua sit juris regula recta, scias.
Nate fortè queat maleficus Sincere technis,
Et NULLI CURVES Iusq; bonumque dolo
Id quod & hac præfens tua dissertatio juris
Testatur, tuus hic sedulitate labor.
Sic pergens NULLI CURVES dictamina juris:
DA IUS, quod studium, quod dedit alma Themis.
Magna sacerdotis quondam sic munia juris
Laude feres, Patria & commoda multa tue.

M. Ioan. Caspar Mockel, Colonienfis,
Iurium Stud.

III.
Vlricus Vveislant Isnenfis.
Lis sine Iure luctus infanus.
Commoget ardorem luctus, pugil arte recedit,
Infanus luctus lis sine Iure cadit.
Ad eundem.

VT prius duram refecans aratro
Rusticus terram, segetemque spargens,
Copiâ fructus repetit laborum
præmia læta:
Sic prius formanda venit cuique,
Artibus doctisque scientiis mens,
Vsque maturos repetat labore
sudus, honores.
Colligas Vlricæ tui laboris
Vberem messem, studiis paratam,
Cui bonis natum patriæ, supremum
ludis acumen.

Adamus Hænerer.


FINIS.


Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

1623







56.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
CODICILLIS

QUAM
Affulgente Iustitia Sole
PRÆSIDE


Clarissimo atque Consultissimo Viro,

DN. SIGISMUNDO *Flach*
J.U.D. ET IN INCLUTA ARGENTORA-
tensium Universitate Professore Publico, Præceptore
atque Promotore omni observantiæ cultu
honorando

Publicè ventilandam proponit
Mense Decembri

ULRICUS Weislandt/
Isnensis.

*Non hoc præcipuum munus amicorum est, prosequi defun-
ctum ignavo questu, sed quæ voluerit, meminisse, quæ
mandaverit exequi. Germanic. moritur. apud Tacit. l. 2.
Annal. cap. 71.*



ARGENTORATI

Typis JOHANNIS REPPII. Anno 1626.